


DISSERTATIO ACADEMICA,  
DE  
*CRIMINE ATHEISMI*

*Cogitationes quasdam propositura,*



CUJUS PARTEM PRIOREM

Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. *HENRICO GABRIELE*  
*PORTHAN,*

*Eloqv. Prof. Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,*  
*Reg. Acad. Litt. Human. Hist & Antiquitt. R. Societ.*  
*Scient. Upsak &c. Socio.*

PRO GRADU,

Publice examinandam proponit

*HENRICUS SNELLMAN,*  
*Ostrobothniensis.*

*In Audit. Maj. d. 16 Decembr. 1801.*

H. A. M. S.

---

*ABOÆ,* Typis Frenckellianis.

17

VIRO

MAXIME REVERENDO ATQUE CELEBERRIMO,  
*S. S. Theologiæ Doctori,*  
*Membro Reg. Ord. de Stella Polari Splendidissimo,*  
*Præposito Ecclesiarum GamleCarlebyensium*  
*& Contractus adjacentis ;*

VIGILANTISSIMO,

*ANDREÆ CHYDENIO,*

*Fautori & Amico Patris defuncti, suoque Patrono*  
*propensissimo, pagellas has sacratas voluit, debuit,*

MAXIME REVERENDI ATQUE CELEBERRIMI

NOMINIS SUI

*cultor devotissimus*

HENRICUS SNELLMAN.



§. I.

**I**n id cum Gentes omnes, quæ quidem summam barbariem evasisent, mature intendisse animum reperiamus, ut causam qualemcunque phænomenorum maxime mirabilium, insolitorum, noxam sibi aut commodum singulare adferentium, investigarent, eamque placarent aut sibi conciliarent; inde ad ideam naturæ superioris, si non Auctoris, attamen domini cum hominum tum rerum aliarum in hoc universo obviarum, sensim pervenerunt, ac tandem ad Numen agnoscendum progresse sunt, potentia, sapientia & beneficentia insigne, cui & ipsi & totus adeo mundus ortum deberent. Cujus observationis veritatem non tollunt diversæ illæ, aliæ saniores, aliæ absurdiores, quas cæterum sibi homines de Deo ejusque natura formarunt sententiæ, majorum placitis & traditionibus, variisque aliis causis, vulgo debitæ. Quamprimum vero ad hujus, de supremo rerum Domino & moderatore, persuasionis vim in moribus hominum fingendis, in virtutis studio confirmando & cupiditatum ferocia frangenda, in vinculis civitatis adstringendis & roborandis, animum converterent; non potuerunt

non beneficum ejus hunc influxum magni aestimare, eamque inter præstantissima humanæ felicitatis subsidia & fulcra numerare. Quare ejus contemtores & oppugnatores haud benivolam in genus humanum vel mentem fovere vel doctrinam profiteri, existimarunt: indeque mature hujusmodi conatus vehementer displicuisse, ac ut grave crimen, (partim jure, partim injuria) quibusdam invenimus fuisse objectum. Sic, Psalmistam ut taceamus, qui perditos ac detestandos sceleratorum mores perstringens, fontem hunc eorum indicat (Ps. 14, v. 1.): *Dicit impius in corde suo, non est Deus*, Græcorum Sophistæ & Philosophi haud pauci, hoc nomine male audiebant, atque in odium vocabantur. Sic inter alios, quorum apud veteres magis vel minus inde est infamis memoria, *Protagoram, Diagoram Melium, ac Theodorum Cyrenaicum*, hujus criminis accusatos fuisse, constat (Vid. CICERO *de Nat. Deor. L. I C. 1*). Ac Historia docet, in horum nonnullos, populi eo usque exarsisse odium, ut vel capitis damnarentur, vel publice proscriberentur. Quam ut declinaret invidiam *Epicurus*, Atheismo proxima fovens placita, Deos suos, Systemati suo alias peregrinos, in scenam callide adduxit. Postea quoque, ad recentiora usque tempora, eandem multis, non semper pro merito, intentatam fuisse accusationem, haud paucis constat exemplis: quæ quidem recensere (apud Historiæ scriptores Literariæ facile reperienda), imperata nobis brevitatis vetat. Fuisse autem multos ab adversariis suis, invidiæ excitandæ consilio, hac infamia

temere adspersos, quis ignorat? Sæpe sententiis Philosophorum, consequentias falso imputatas reperias, a systemate eorum alienas, imo ei adversas. Cujusmodi consilio tanto major inest iniquitas, quo certius est, nec veras sententiæ alicujus consequentias, (sed auctori illius non provisas, multo minus ab illo intentatas) huic mox attribuere recte licere. Quod de Atheismi quoque crimine nonnullis objecto, tenendum est. Nec tamen culpa vacant, qui vel moniti, sententias ad Atheismum ducentes, propagare & defendere pertinaciter pergunt, vel formulas atque enuntiationes deligunt atque studiose frequentant, aut suspicionem Atheismi justam moventes, aut non sine multo labore purgandas, laudem etiam ex hujusmodi paradoxorum audacia aucupantes, verborumque sæpe magis quam opinionum portentis admirationem (pueriliter sane) excitare studentes (a).

A 2

apud

---

(a) In quorum numerum recte referas illum (FORBERG) cujus *Verfängliche Fragen* (absonas recte interpreteris!) suo Diario Philosophico (*Philosophische Journal* Jabrg. 1798 1 Heft.), ut egregium scilicet ornamentum, interuerunt FICHTE & NIETHAMMER. Inter quas Quæstiones hæc occurrit prima: *Ist ein Gott?* Ad quam respondetur: "Es ist und bleibt ungewiß. Denn diese Frage ist bloß aus speculativer neugierde aufgeworfen, und es geschieht dem neugierigen ganz recht, wenn er bisweilen abgewiesen wird!!" Item alia: *Ist die Religion Verehrung der Gottheit?* Antwort: Keinesweges. "Gegen ein wesen, dessen existenz erweislich ungewiß bleiben muß, giebt es überall nichts zu thun!!"

apud plerosque homines, nec injuria, habeatur Atheismi aut doctrinæ ei vicinæ crimen; plerique invidiam declinaturi gravissimam, a se hanc suspicionem amovere, conati sunt. Nuper demum, nostroque ævo, in Gallia tempus fuit (sensim illud tamen quasi præparatum & adductum), quo inter reliquas turbas, turpes non minus quam tristes, caput eo usque etiam Atheismus extulit, ut non modo publice eum & voce & scriptis (b) profiteri multi auderent, sed honori etiam ejus professionem sibi ducerent, upote qui, scilicet! aliis hominibus oculationes & fortiores viderentur!

§. II.

---

(Cfr. *Ergänzungs-Blätter zur Allgem. Litterat. Zeit* N:o 12). Et hi tamen homines, ubi impiæ hujusmodi petulantix causa castigantur, injuriam sibi fieri, clamitare non erubescunt!

- (b) Qualia ex. g. edidit homo quidam fatuus nomine *Marchena*, non minore impudentia & in religionem odio, quam inscicia & ingenii hebetudine insignis; in cujus scripta vere quadrat illud Poëtæ: *Dat Deus immitti cornua curta bovi*. De Atheisticis his molimib. cæterum hauriri notitia potest ex libro famoso: *Dictionnaire des Athées* par SYLVAIN MARECHAL (cfr. *Allg. Litt. Zeit.* 1800 N:o 225). Ac nescio utrum commiserationem an indignationem majorem excitare debeat, quod fuerint, qui ex hoc indice (præclarorum scil. hominum!) se exclusos fuisse, graviter ferrent; inter quos virum nominant Astronomicæ scientiæ laude celeberrimum: insigni documento, solere in mundo morali contingere quod in physico, ut altero oculo quis acute cernat, altero cæcutiat!.

§. II.

Causam odii, quo Atheismi temere vel suspecti vel accusati, vulgo habiti sunt, circumspicientes, facili deprehendimus negotio, illam haud raro in malitia Sacerdotum, falsas religiones tuentium, sitam fuisse, detrimentum lucro & auctoritati suae, si lucidioribus & sanioribus de Deo & rebus divinis sententiis imbueretur populus, metuentium; quare etiam generosiora fere ingenia & viros meritissimos, operi huic, ut nempe ignorantiae & erroris dissiparent nebulas, manum admoventes, a callidis superstitionis patronis calumniae hac macula, affectos fuisse reperias. Favet iniquo huic consilio, perversa illa & noxia opinio, cui fanatico quodam acti fervore, homines saepe indulgent, qua sibi incumbere putant, Dei quasi patrocinium suscipere, & injurias Ei vel intentatas propulsare, vel illatas ulcisci. Quod quam temere & absurde statuatur, sanus nemo non videt. Licet autem tale quoddam vel jus vel officium ad Magistratus curam non pertineat; praesto tamen sunt rationes aliae, ex supra disputatis intelligendae, idoneae, quae Atheismi propagatores, utpote securitatis, felicitatisque publicae inimicos, coercendi, Rectoribus civitatum cordatis injungant necessitatem. Est nempe Atheismus error non minus publice quam privatim noxius. Quippe qui, primum vincula firmissima quibus conjunguntur subditi & imperantes, quibusque salus civium & vitae tranquillitas maxime innititur, officiorum nempe atque bonorum morum potentissimam sanctionem, & Jura-

mentorū vim atque fidem, solvendo, fundamenta labefactat Reipublicæ. Quem enim timebit Atheus? quid eum cohibebit, metu Dei invisibilis, omnipotentis, omniseii, justissimi atque sanctissimi, pœnarumque vitæ futuræ, sublato, quo minus, quoties externæ impunitatis scelerumque suorum occultandorum spes sibi offertur, frenum cupiditatibus suis laxet? quod imprimis in potentioribus, qui remota Religione, nihil sibi in inferiores non licere putabunt, continget. Deinde unicum virtuti oppressæ, miserisque, qui nullum sui vindicem, nullamque in futura vita sortem meliorem, Dei ablato Numine, sperare poterunt, solatium & constantiæ fulcrum eripitur. Quamvis igitur in crimine Atheismi cuidam obvertendo, summam adhibere oporteat cautionem; recte tamen, & humanitate & cura publicæ salutis jubente, illius arcetur propagatio, publicaque ejus professio, providentiam & animadversionem Magistratus poscere, existimatur.

### §. III.

Quomodo autem hæc pestis sit coërcenda? cum quæritur; respondemus, primum esse in partes vocandam & excitandam *privatam* hominum, maxime doctiorum *diligentiam*, quibus incumbit docendo & scribendo ei obviam ire, religionis fundamentis prudenter ponendis rationibusque lucide explicandis (a),  
ne

---

(a) Cur plerique hostes religionis Christianæ arma in illam moverint, causam haud postremam in præce-



ne in laqueos Atheismi cives imprudentes incidant. Deinde *publica auctoritate* cavendum est, ne doctrina & sermiones Atheismum vel commendantes vel adstruentes, imprimis lingua populari, evulgentur & serpent. Sunt qui obvertant, tales libros, publice prohibitos, plerumque studiosius etiam quæri & avidius legi. Quod quidem negari omnino non potest; sed simul certum est, a paucioribus tamen hoc fieri, hujusmodi rerum curiosis; qui plerumque aut satis muniti sunt contra talium scriptorum insidias, aut si illis patent, etiam si illa libere divulgare liceret, his scilicet lautitiis frui, alimenta que inde ingenio suo gratæ, quærere haud negligerent. Plurima vero civium pars, maxime plebs, quæ non tam rationibus quam auctoritate & multitudine probantium, publiceque merces suas ebuccinantium, abripitur, a contagione liberabitur, quam alias patroni illius, fanatico haud raro, ut videmus, studio acti, diffundere haud cessarent (b); & licet ipsas tricas, quibus circumvestiuntur, per-

ptis ejus male propositis, atque vera sua indole per hominum superstitionem & fraudem deformata, esse quærendam, harum rerum periti non ignorant, & scripta contra eam (ex. gr. a Voltairio) edita confirmant. Unde in civitatibus ubi Religio Romano-Catholica dominatur, talium adversariorum suorum, atque omnis adeo religionis hostium, maximum reperiri numerum constat.

(b) Fanaticismum religiosarum opinionum patronis atque asseclis minus sapientibus, hactenus, ut iis

pervias reddere vulgi animis non valerent, practicae tamen consequentiae pestiferæ, inde facile deducendæ, cupiditatibusque pravis blandientes, avidè mox arriperentur & propagarentur. Si vero moniti tacere & ab hoc veneno spargendo desistere nolunt; quin castigatione etiam justa, & prudenti, ad obsequium magistratui & legibus debitum præstandum, cogi rectè queant, non dubitamus. Negant hoc Atheorum patroni, præceptum illud vulgatum prætexentes: *errorem non mereri poenam*; quod nemo negaverit, quamdiu scilicet intra animum cujusque continetur. Si vero, postquam publice perniciosus deprehensus fuit, indeque propagatio ejus legibus prohibita, illum nihilo minus propagare atque sic laqueos aliis tendere conantur; pœna his æque ac aliis legum publicarum violatoribus ac contemtoribus infligitur non injusta. Quin enim multi errores, inter quos utique referendus est Atheismus, paci ac tranquillitati publicæ admodum sint periculosi, nemo sanus negare audebit. Quæ porro causa idonea hos homines impellere potest ad hunc suum propagandum errorem? Quid inde boni vel sibi vel aliis, vel toti de-  
inum

---

fere proprium, vitio fuisse datum, imprimis ab impietatis patronis, notum est. Sed nostra ætate cohors Atheistarum Parisiensium sceleratissima, fanaticismum etiam cum atheismo amice posse coire, docuit: nempe locum ille habet, ubicunque cupiditatum vehementia, cum ignorantia conjuncta est.

num Civitati accrescere poterit (c)? Num conscientiae suae impulsus, ut Fanatico, ita praetendere licet Atheo? maxime ei, qui in solo suae utilitatis, imo voluptatis sensualis studio, fundamentum omne moralitatis quaerit? Quid itaque, nisi ardor ambitionis perversae, hunc in eo gignere potest conatum? cui sane publicae salutis impendio non est velificandum. Urgent praeterea, esse Atheos vel ideo ferendos, quod & possint esse, & quidam eorum fuerint, boni cives atque homines honesti (d). Quibus respondemus,

B posse

(c) Fuerunt quidem Gallorum Athei nonnulli recentissimi (ut quem supra nominavimus *Marchena*) adeo absurdi, ut, nisi impietatis praepararent triumphum, flores non posse Rempubl. contenderent: sed hi, qui non unam hanc summam defenderunt absurditatem, ineptis adeo & absolis somnia sua superstruxerunt fundamentis, ut ne audiri quidem, multo minus serio confutari, mereantur. Non sunt quidem his omnino adfocandi Kantianae Scholae alumni illi, qui Atheismi non innocentiam modo, sed etiam amicam cum virtutis studio purissimo consensionem defendunt; sed neque illorum ratio cordatis ac a partium studio caeco non abreptis, probari potest hominibus. Cf. mox monenda.

(d) Principem locum inter seculi superioris atque illud proxime praecedentis eruditos, qui virtutem Atheorum asseruerunt, jure suo meretur celebris ille *P. Baelius* (Cfr. *BUDDEI Theol. Theol. De Atheismo & Superstit.* p. 250, 251, ac loca ibi citata); quem argumentis & ex ratione & ex experientia ductis, malam hanc causam ornare studuisse, constat. Sed multo auda-

posse etiam alios Atheos esse, (& fuisse) complures scimus sceleratissimos. Talibus enim doctrina eorum scitis constat, quæ firmissima virtutis incitamenta & fulcra convellunt: quorum loco phrasæ inanes & vanas subtilitates, captui imprimis plebis minime accommodatas, nobis vendunt: unde facile eadem plebs, oblata sibi per hanc doctrinam simul practica scita, perniciofa, & scelerum præsidia, arripit. Dictum quoque *SENECÆ, qui mori scit, cogit nescit*, ad hanc rationem trahi facile potest: unde tristes audivimus ac legimus, quam promptos ad quævis audenda scelera, & ubi successus consiliis defuit, necem sibi consciscendam, vel ab adversariis sibi allatam ferociter subeundam, furiosi Gallorum Athei, quorum cohors: tot patriæ suæ vulnera nuper inflixit, sese præberent. Quod unus aut alter, mitiori præditus ingenio, aut

---

cius eandem inflare tibiam, Kantianis placitis abuten-  
tes, recentissimo ævo haud pauci ausi sunt, maxi-  
me protervi hujus Scholæ asseclæ; qui non tantum  
conciliari posse cum Atheismi scitis virtutis nisum,  
asseruerunt, sed etiam (turpe atque horrendum!) exiis  
maximam laudem mutuari, atque virtutem summam  
& præstantissimam, in Atheo demum, nec nisi in eo,  
posse existere! Pro quo turpi non minus quam absur-  
do assero, scripto vernaculi defensor[is] terminis, cum mu-  
nere publico nuper in Dania animosus (scilicet!) novæ  
hujus sapientiæ consultus fuisset exutus, de injuria  
ei facta queri, sodales sui non erubuerunt. Uberem  
fane solatii laudisque; sine dubio, materiam præber,  
martyrium pro tam præclara ac humano generi  
salutifera doctrina suscepisse.!

fapientius educatus, ſenſum retinuit moralem, ſemina-  
que virtutis in pueritia animo ſuo, nondum Atheiſmū  
laqueis irretito, inſperſa & inculcata fovens, vel ab  
aliis ſibi imprimis metuens & opinionis ſuæ invidiam  
declinare ſtudens, prudentia quadam ductus, bene vixe-  
rit; id ad doctrinæ eorum præſtantiam | confirmandam  
haud valet, minimeque ad totum genus commendandum  
trahi poteſt. Siſte enim tibi ob oculos civitatem, cujus  
rudis plebecula, nullo metu Numinis, nulla futuræ vitæ  
cura, nullo religionis ſenſu coërceatur: quæ vitia ibi do-  
minabuntur, quæ ſcelera vigeant! Metuendum merito  
eſt, ne in conditionem brevi incolæ incidant prorfus  
belluinam (e). Nuperum Galliæ exemplum docere fatis  
valet, qualis futura eſſet talis Respublica, Athea, aut in  
qua Athei dominarentur, horumque ſatellites religionis  
ſenſum penitus exuiſſent. Solverunt nempe ſævi illi pa-  
triæ ſuæ perturbatores dubium, ab erroris peſtiferi pa-  
tronis hæcenus nexum (quamdiu nempe, benigniori hu-  
manitatis fato, experimentum exitiale nondum ullus po-  
pulus fecerat, ſummæ poteſtatis exercitium arbitrio im-  
piæ cohortis permittendi): annon æque pacifice totus A-  
theorum cœtus rerum potitus, ſeſe eſſet geſturus, ac pau-  
ci quidam eorum, inter medios religionis cultores atque  
patronos caute verſati? Quam effrenatam tetra illa mon-  
ſtra, non modo in adverſarios ſuos, exercebant crudelita-  
tem (ſeſe etiam invicem diſſecantia) ſed furioſo in religio-

B 2

nem

---

(e) Cfr. H. S. REIMARI *Abhandlungen von den vornehmſten  
wahrheiten der Nat. Religion.* X Abb. §. §. 16, 17.

nem omnem ejusque amicos, odio erant inflammata! Horrebit sane posteritas vel audiens nomina, qualia erant *Hebert, Collot d'Herbois, Danton, Marat &c.* Post quorum furores, populi athei rempublicam, cujus indolem, fatali experientia edocti, populares ipsorum cito horrescere didicerunt, homines sani in posterum, credo, ornare atque commendare haud conabuntur!

§. IV.

His breviter præmonitis, quæstio jam explicanda exoritur, vehementer agitata, quæque minus diligenter enucleata, causa (vel prætextus potius) aliquando fuit persecutionum crudelissimarum, Dei & Religionis tuendæ nomine susceptarum: *Quibus recte Atheismi hoc obvertere liceat, crimen?* Non utique cuivis, cujus de Deo opiniones falsæ & absurdæ sunt, vel tales vulgo habentur. Ut enim mox ab initio monuimus, homines ad Atheismum temere sibi invicem objectandum, cum tot foverint disidentes de Divinitate sententias, omni tempore proni fuerunt; cujus rei, Historia Literaria, passim exempla tristia præbet. Sic, qui a vulgo recepta opinione, etiam absurdissima, aut a certa Religionis, probata publice, formula, recesserunt, hujus criminis haud raro accusatos, & condemnatos fuisse, novimus. Ita Athenienses, plura ut reticemus exempla, humano nomini haud honorifica, fictorum Deorum suorum impugnatores, ut *Anaxagoram* (propter superstitionem popularem ab eo

explosam), Atheismi accusarunt & in vincula con-  
 jecerunt. Cautè igitur in tam gravi crimine cuiquam  
 obvertendo, cum incedendum sit; primo constituenda  
 est idea fundamentalis Dei, ut quinquam existentiae il-  
 lius oppugnatae, merito argui possint, dispalescat.  
 Cogitanti igitur, & quid in ea doctrina fundamentale sit,  
 & quid eam opinionem imprimis faciat hominibus eam  
 & venerandam; facile patebit, huc imprimis  
 pertinere, ut Auctor & Rector ac Dominus naturae  
 & maxime nostri, habeatur. Ergo primo, Eum mundum  
 & humanum imprimis genus, potenter, sapienter & be-  
 nefice creasse, credendum est, ita ut certum finem,  
 naturarum nimirum sentientium, a se creatarum,  
 maximeque hominum, felicitatem, hoc agendo inten-  
 derit: sine quo praestructo fundamento, Providentia  
 ejus & Regimen adstrui ægre poterit. Deinde, agno-  
 scendum est, exercere Eum regimen, ut in mundum in  
 genere, ita imprimis in homines, tum physice, tum mo-  
 raliter: esse nostri Regem, Legislatorem, Judicem,  
 qui malum puniat, bonum remuneretur, si non in  
 hac, tamen in futura vita. Quem igitur his scitis  
 suffragantem audiveris, ille Atheismi haudquaquam est  
 incusandus, licet in quibusdam vel maxime a commu-  
 nibus recedat placitis; licet erroneas, imo etiam ab-  
 surdas, de natura Dei cæterum foveat opiniones. His  
 enim momentis concessis, sive Deo ut causa universi, ac  
 præcipue Domino, sua providentia omnia regente, admis-  
 so; id datum habetur, unde imprimis hujus doctrinae pen-  
 det vis, laus & pretium. Neque porro consequentiae



quævis, ex placitis erroneis fluentes, quamvis etiam in  
fundamentales illas veritates impingant, mox ad Athe-  
ismi crimen alicui impingendum sufficiunt, si illas eum  
non animadvertere, aut non admittere (ut sunt hominum  
sententiæ haud semper sibi consentientes aut constantes)  
constet: modo ad illas principes doctrinas evertendas  
non sint comparatæ. Ubi vero allata illa doctrinæ de  
Deo palmaria decreta oppugnantur aut negantur, pa-  
rum affert momenti, si verbum Dei retineatur, ac phra-  
ses adhibeantur (quales in Spinozæ, aliorumque scri-  
ptis frequentantur), quæ receptis primo intuitu con-  
cinere sententiis videntur, sed longe alio spectant,  
ac ad subruenda ista principalia decreta, oppido com-  
paratæ sunt. Sic, qui creationem mundi, plane Deo  
abjudicat, ille, sic non modo rationem præcipuam,  
existentiam Ejus admittendi tollens, viamque ad Ejus  
cognitionem perveniendi occludens, sed etiam causam  
ac quasi jus in homines imperium asferendi, Deo,  
quantum in se est adimens, statui debet errorem fove-  
re ad Atheismum gignendum & muniendum admo-  
dum proum. Sed cum tamen aliis etiam rationibus,  
sæpe licet valde ficulneis (quales sunt majorum traditio  
atque auctoritas, gentium plerarumque consensus, &c.),  
seria tamen persuasio de Numinis existentia (quamvis  
mundi creatione ei non adscripta), superstructa haud  
raro fuisse reperiatur: liberandus is error, quantum-  
vis gravis, impietatis probro in hominibus præcipue ru-  
dibus & ratiocinando minus aduetis, aliquando esse  
videtur, utpote qui opinionum suarum consequentias,  
acutissime non perspiciunt.

---